



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Vt Missarum solennia non vbique, sed in locis ab episcopo consecratis  
fiant. lvi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

riam martyrum, claritati eorum adiungant insaniam, placeat eos si laici sunt ad poenitentiam redigi: si autem sunt clerici, post commonitionem honore priuari. Vniuersi dixerunt: Rectè stabit sanctitas vestra. Hoc & singulis conciliis statutum est.

*Vt missarum solennia non vbique, sed in locis ab episcopo consecratis fiant. Cap. LV I.*

**M**issarum solennia, non vbique, sed in locis ab episcopo consecratis, vel vbi ipse permiserit, celebranda esse censemus. Concedimus etiam, vt sicubi, quod nostris peccatis exigentibus per plurimum est factum, à Nordinanis, & à Slauis, & ab Vngaris, & à malis Christianis, seu alio qualicumque modo Ecclesiæ fuerint incensæ & combustæ, in cappellis cum tabula consecrata, Missas interim celebrare permittimus, donec ipsæ Ecclesiæ restaurari queant. In itinere verò positis, si Ecclesia defuerit, vt sub dio seu in tentoriis item si tabula altaris consecrata, cæteraque sacra mysteria ad id officium pertinentia adfuerint, Missarum solennia celebrare concedimus, aliter omnino interdiciamus.

*De Missa non celebranda, nisi in sacro loco.*

*Cap. LVII.*

**S**cripta sanctitatis vestræ, quæ ad sedem apostolicam misistis super quibusdam consultis, quasi ad caput, vt inde acciperetis responsa, vnde omnis Ecclesia totius religionis sumpsit exordium, gratanter suscepi, & breuiter vobis respondere curavi. De Ecclesiarum enim consecratione, & de Missarum celebrationibus non aliubi, quàm in sacris domino locis absque magna necessitate fieri debet, liquet omnibus quibus sunt nota noui & veteris testamenti præcepta. Tabernaculum verò Mosen domino præcipiente fecisse, & sacrasse cum mensa & altari eius, & æreis vasibus, & utenfilibus, ad diuinum cultum explendum legimus, & nõ solum diuinis precibus se sacrasse, sed etiã sancti olei vnctione domino iubente perlinisse nouimus. Qualiter autem hæc facta sunt, & nõ alii ipsa sacra quam sacerdotes sacra vnctione delibuti, dominoq; cum vestibus sanctis sacriati & leuitæ tractabant, ferebant, erigebat, & deponebant, in ipsis institutionibus quæ iubente domino per Mosen conscriptæ sunt in lege domini reperitur.

M

*Ex cõcil.  
Triburiẽ  
si, cap. 4.*

*Ex decr.  
Felicis 4.  
pape omnibus  
Episcopis  
missis.*